

XI. *Observatio Eclipsis Solis totalis cum mora facta Gothoburgi Sveciae, sub elev. Poli 57° 40' 54'', d. 2 Maij, stylo Jul. An. 1733, à Dom. Birgero Vassenio, Lectore Mathem. in Gymnasio Regio Gothoburg.*

INITIUM Eclipseos, quod ob nubes interpositas animadverti non potuit, ante 6^h 26' post mer. incidisse videtur.

6^h 38' 43'' ad tres fere digitos obscurabatur Sol.

6 49 52 ad sex plus minus digitos.

7 14 6 adparebat ɿ.

7 14 46 incepit totus tegi Solis discus.

7 15 50 Maximæ tenebræ, cum stellæ omnes ursæ majoris, cor ɿ, Sirius, Procyon, Oculus 8, & nonnullæ aliæ videri poterant: non tamen ɿ neque ♂ conspecti.

7 16 54 Cum incredibili celeritate Sol radios ejaculari coepit.

7 20 12 adparebat adhuc ɿ.

7 41 38 ad sex digitos Sol tegebatur.

8 5 50 finis Eclipseos, toto lucente Solis disco.

Mora Eclipseos totalis *Gothoburgi Sveciae*, 2' 8''.

Mora hujus Eclipseos totalis in loco quodam *Swenaker* dicto, septem milliar. Svethic. hinc versus Septentrionem distante, sub Elev. Poli 58°. 15', ut ope penduli oscillatorii observavit Frater meus Germanus *Torbanus Vassenius*, erat 2' 31''

Tempore,

Tempore, quo Sol totus tegebatur, præter maximam partem macularum in disco, atmosphærā Lunæ, per Telescopium 21 fere pedum Sveti. vidi; eamque in limbo Lunæ occidentali, sub maxima immersione, paulo lucidiorē; absque tamen irregularitate illa & inæqualitate luminosorum radiorum, quæ in oculos sine tubo intuentium incurrebat. Admiratione non solum, sed & judicio Illustrissimæ Regiæ Societatis maxime dignæ videbantur subrubicundæ non nullæ maculæ in illa, extra peripheriam disci Lunaris, conspectæ, numero tres aut quatuor; quas inter una erat ceteris major, medio fere loco inter meridiem & occidentem, quantum judicare licuit. Composita hæc erat tribus quasi partibus seu nubeculis minoribus parallelis inæqualis longitudinis, cum aliquali obliquitate ad peripheriam Lunæ. Admiratus Phænomenon Socio, qui lynceis erat oculis, copiam vivendi feci. Ceterum, cum is tubo non adsuetus ne quidem lunare corpus inveniret; ipse iterum eandem maculam, aut, si mavis, nubem invariatam situmque pristinum in Atmosphæra prope ad peripheriam Lunæ occupantem, sine omni suspitione vitii tubi aut oculi, per 40 aut plurimum minutorum sec. tempus latus perspexi. Tandem vero radius Solaris, fulguris instar, in boreali Lunæ limbo emissus oculo Mercurium fere perigeum in tanta festinatione frustra inquisituro jucundissimum hoc Spectaculum, exspectatione citius, subduxit.

Gothob. 20 Jun. stylo Jul.
Anni 1732.

XII. Pro-